

narrat: Ita Romanos postea in Veturiæ & Volumniæ honorem Fortunæ muliebri templum ædificasse *Livius* a) Auctor est. Cum enim C. Marcius Coriolanus, Dux Volscorum, exercitum hostium urbi, Romæ, ad moverat, & missi ad eum primum legati, postea Sacerdotes frustra deprecati essent, ne bellum Patriæ inferret: Veturia, Coriolani mater, & Volumnia uxor ejus cum ingenti aliarum mulierum agmine castra fortiter ingressæ sunt. Ubi Heroico plane sermone allocuta Coriolanum Veturia, *sine*, inquiens, *priusquam complexum* (in quem consternatus Coriolanus prope ut amens ruebat) *accipio, sciam, ad hostem, an ad filium venerim?* &c. adeo fregit ipsum Coriolanum, ut complexus inde suos dimittens ipse retro ab urbe castra moveret. Hinc cum non inviderent laudes suas mulieribus viri Romani: adeo enim *sine obtrectatione gloriæ alienæ ea tempestate vivebatur*; Illustri, quod esset Heroicæ hujus fortitudinis monumento, memoratum supra templum fortunæ muliebri ædificatum dedicatumque est. Sic etiam pudicitiæ plebejæ ara exstructa erat in foro boario ad ædem rotundam Herculis Q. Fabio & P. Decio Coss. a Virginia Auli filia. Hanc enim Patriciam plebejo nuptam sacris arcuerant cæteræ Romanorum Matronæ, quod e patribus enupserat. Quum igitur Virginia inter arduas Matronarum altercationes se & Patriciam & Pudicam in Patriciæ Pudicitiæ templum ingressam & uni nuptam, ad quem virgo deducta sit; nec se viri honorumve ejus ac rerum gestarum pœnitere Heroico sermone gloriata fuisset: in Vico Longo ubi habitabat ex parte ædium quod satis esset loci modico facello exclusit: aramque ibi posuit & convocatis plebejis Matronis conquesta injuriam Patriciarum, *hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ plebejæ dedico: Vosq; bortor, ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet hoc pudicitiæ inter Matronas sit detisq; operam, ut haec ara, quam illa, si quid potest sanctius & a castioribus coli dicatur.* Unde eodem fermè ritu & hanc aram quo illa antiquior cultam, nullique nisi spectatæ pudicitiæ Matronæ & quæ uni viro nupta fuisset jus sacrificandi concessam *Livius* b) testatur.

§. X. Supersunt circa Διπλέωσιν, quæ pene obliti eramus, Festa anniversaria, quorum plurima in Heroinarum illustriorum cultum an-

B 2

ti.

a) L. II. c. 40. p. 180. sqq. edit. Amstelod. b) L. X. c. 23. p. 871.